PSALMUS XLVIII.

EXPLICATIO VERSUS I.

שיר *Canticum psalmi:*) i. e. hymnus ore simul & instrumentô musicô cantari aptus, vide vocem שִׁיר *Psalm.* XXX, 1. Junius & Piscator supplent copulam; *Canticum & Psalmus*, i. e. canticum, quod canendum erat fides. Sensus eôdem recidit. Aliqui solius elegantiæ causâ hæc duo synonyma connecti opinantur (Trost. *gramm. pag.* 116. Glass. *l.* 3. *p.* 110.) sed in concisâ adeò inscriptione vix habet locum. Nam quanquam inter *Canticum psalmi & psalmum cantici* nequeamus distinguere, sicut nec inter *rupem petræ*, & *petram rupis* (*Deut.* VIII, 15. XXXII. 13.) quod urget h. l. *Aben Esra*; plus tamen est canticum psalmi, quàm nudum canticum, sic *Psal.* XXX, 1. LXV, 1. Opinatur verò *Junius, Piscator, Vatablus*, factum esse hunc Psalmum vel tempore Hiskiæ post depulsum Sennacheribum, vel tempore Josaphati, victis Moabitis ac Ammonitis, vel tempore Achaz. Quicquid sit, sub typô Hierosolymæ terrestris, primariò intenditur descriptio Ecclesiæ, à Deô mirabiliter semper defensæ.

לבני:) vide *Psalm.* XLII, 1.

EXPLICATIO VERSUS II.

גדול *magnus (est) Jehovah:*) h. e. majestas, sapientia, clementia ac potestas Dei nostri tanta est, ut nullô creatô vel finitô intellectu queat comprehendi vel mensurari vel circumscribi: immensus est natura, attributis, operibus. Nomen hocce adjectivum, quia substantivo præponitur, innuit tum ellipsin verbi substantivi (*est*) tum subjecti ac prædicati metathesin; propositio namque ordinanda est h. m. *Jehova est magnus &c.* similia exempla *Psal.* XXXII, 10: רַבִּים מְכֹאֹבִים &c. vide Buxtorff. *l.* 2. *thes. c.* 1. *reg.* 2.

ומהלל *& laudatus:*) i. e. laudabilis vel laude dignus: nimirum participium respondet adjectivo in (*bilis*:) ceu *Psal.* XLVII, 3. נוֹרָא terribilis: & *Psalm.* XIX, 11. נֶחְמָד desiderabilis &c. Posset tamen in primô suô significatu etiam hîc retineri, ob sequentem tam temporis, quàm loci determinationem, quòd laudatus hactenùs crebrò fuerit Deus *in sancta sua civitate* præ magnô liberatorum incolarum gaudiô &c. Vide eandem hanc vocem *Psalm.* XVIII, 4.

בעיר *in civitate Dei nostri:*) i. e. in Jerusalem, quam Deus ratione cultûs publici peculiariter sibi appropriavit præ cunctis civitatibus aliis in totâ Palæstinâ, imò orbe universo.

הר *monte sanctitatis suæ:*) h. e. monte suô sanctô, nempe Zion, *vers.* 3. ubi tempore Davidis tabernaculum & arca fœderis, quæ postmodum extructô templô transferebantur in montem Morja. Similis constructio *Psalm.* XLVII, 9. solio sanctitatis suæ. Repeti verò debet præfixum (ב) ceu Lutherus fecit: auf seinem heiligen Berge. Vel interponi copula *Vav*, quod fecit *Vatablus*.

EXPLICATIO VERSUS III.

יפה נוף *pulcher* vel *amœnus tractu (est) mons Zion:*) i. e. amœnissimô, ut & munitissimô gaudet situ, aliisque, arcem regiam ac Tabernaculum decentibus ornamentis. De situ montis vide 2. *Sam.* V, 6. Adjectivum יָפֶה *pulcher*, in regimine positum, facit ex substantivô sequente ablativum apud Latinos; ceu *Psal* XXIV, 4. נְקִי כַפַּיִם innocens manibus &c. *Psalm.* CXIX, 1. תְּמִימֵי דָרֶךְ integri viâ, seu integram ducentes vitam: *Hab.* I, 13: טְהוֹר עֵינַיִם purus oculis &c. Iterum verò colligitur ellipsis verbi substantivi ex præpositione hujus adjectivi, prædicati vices gerentis, ante substantivum, cum constructio legitima sit hæc: *mons Zion* (est) *pulcher tractu* (&) *gaudium totius terræ.*

נרף *tractu:*) nomen hoc, quod frequenter proprium est urbis Ægypti, Memphis dictæ, *Jer.* II, 16. XLVI, 19. 14. XLIV, 1. hôc in locô appellativum est, exponiturque à Kimchiô l. rad. per מָחוֹז & פֶּלֶךְ *provinciam, regionem, terminum.* Hinc *Aben Esra* h. l. exponit de regione vel tractu, qui נֹפֶת etiam dicitur: & *R. Joseph Kimchi* annotat, mundum in 7. climata à Deo esse divisum, quorum quodlibet proprium habet aërem; ut proinde egrediens de uno ad aliud plerunque ægrotet; contra tractum Hierosolymæ tam esse salubrem, ut infirmi illuc venientes mox convalescant, &c. quod pluribus recenset Pagninus *in lexic.* super hanc vocem. Alii ex Ebræis, allegante *Muis*, interpretantur *Sponsam pulchram*, quæ apud urbes maritimas vocetur *Nympha*, quos secutus est Felix Pratensis, *formosa nympha*, corrigit Muis: *pulcher nymphis.* Chaldæus paulò aliter: *pulcher ut sponsus.* Alii verò, ut *R. Immanuel* vocem נוף accipiunt pro Surculô vel ramô (עֳנָף) ut totus orbis sit instar arboris, loca verò particularia instar ramorum arboris, terram proinde Israëliticam esse *ramum* non vulgarem, sed pulchrum &c. (vide in *lexic. Pagnini laudatô.*) Sequitur eum Aquila: καλῷ βλαστήματι *pulchrô germine.* quinta editio ἐυκλάδῳ *pulchris ramis prædito.* Hieronymus: *speciosa germine.* Lutherus: der Berg Zion ist wie ein schön Zweiglein. Verum hac ratione constructio resultaret talis: *Mons Zion est pulcher ramô vel ramis*, non est ramus pulcher: nam adjectivum suo substantivo præponeretur contra linguæ hujus morem; imô reiminis nulla sic habetur ratio, dicendumque potiùs fuisset נוף יָפֶה, quam יפה נוף, quod tamen est in textu. Quare in priore acquiescimus sententiâ, ut, quomodo dicitur יְפֵה תֹאַר pulcher formâ, *Gen.* XXXIX, 6. יְפֵה עֵינַיִם *pulcher oculis*, 1. *Sam.* XVI, 12. יְפֵה פְרִי (oleo) pulchra fructibus, *Jerem.* XI, 16: יְפֵה עָנָף (cedrus) pulchra ramis, *Ezech.* XXXI, 3. Ita & h. l. mons *pulcher tractu*, idem sit ac egregiè situs, felicitate omnigenâ beatus. Non longè abest ab hac mente *David Kimchi:* pulcherrimus regionis, i. e. in omni regione non est pulchrior mons hôc monte Zion. Belgæ: schon van Ghelegenheit (marg. offte Situatie.)

משוש *gaudium totius terræ:*) alterum hoc est elogium seu adjunctum montis Zion, nempe quod sit pulcherratione non solùm situs, verùm etiam deliciæ totius terræ, sive quod de ejusdem præsidiô, regimine, religionis curâ &c. gratulentur sibi omnes in universum subditi. Quod ipsum iisdem fermè literis repetitur in Threnis, *cap. II*, 15. *hæccine est urbs* (Jerusalem,) *de quâ dixerunt* בְּלִילַת יֹפִי מָשׂוֹשׂ לְכָל־הָאָרֶץ *absolutè pulchra, gaudium universæ terræ?* Aliàs nomen hoc מָשׂוֹשׂ (à שוש *lætari*) usurpatur de *gaudiô* tym-